



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S.
Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ
extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

Bacon, Francis

Francofvrti ad Moenvm, 1665

Dialogus De Bello Sacro. Interlocutores, Eusebius, Zebedæus, Gamaliel,
Martius, Eupolis, Pollio.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5

DIALOGUS

DE

BELLO SACRO.

Interlocutores,

Eusebius, Zebedæus, Gamaliel, Martius, Eupolis, Pollio.

Characteres harum personarum.

Zebedæus Romano-Catholicus, fervidus, & Zelotes. Gamaliel, in Religione Reformata, fervidus item, & Zelotes. Eusebius, Theologus Orthodoxus, & Moderatus. Martius, Vir Militaris. Eupolis, Politicus. Pollio, Aulicus, omnes præter Gamalielē Romano-Catholicis.

Convenerunt Parisiis, in Domo Eupolidis, Eusebius, Zebedæus, Gamaliel, & Martius: Singuli eorum, Viri egregii, sed multum inter se differentes. Aderat etiam Eupolis ipse: Atque dum sederunt colloquentes, intervenit ab Aula Pollio: Ac quam primum eos vidit, more suo ingenioso, & faceto, dixit:

Pollio.

Video quatuor hinc præsentēs, qui Mundum egregium, (arbitror,) constituere possint: Tantum enim ab invicem discrepatis, quantum quatuor Elementa, & nihilo secius concordēs estis. Quantum verò ad Eupolidem, quia moderatus est, & placidus, illum loco quinta Essentia ponere libet. Eupolis. Si nos quinque (Pollio) Mundum constituimus majorem, unicus tu Mundum minorem constituere possis: Siquidem omnia, & profiteris, & conitaris, ad Te ipsum solum referre. Pollio. At quid illi, qui hoc agunt, sed minimè profitentur? Eupolis. Sunt illi quidem minus Animosi, sed magis metuendi. Verum age, & nobiscum Sermones conferas: Etenim inter Nos, de præsentī Orbis Christiani statu, loquebamur; In quo libenter etiam Opiniones tuas audiremus. Pollio. Domini mei; Ister hoc Mane confeci; Jamque Æstus Diei ingruit: Itaque Sermones Vestri, opus est, Aurēs meas admodum delectent, quo ab Oculis impetrent, ut Somno abstineant. Attamen si permittētis, ut vōs excitem, si quando Sermones vestri mihi videantur obdormiscere, quantum potero, Somnum abigam. Eupolis. Imo gratum nobis feceris, si hoc præstiteris: Illud tantum metuo, ne universum, quod tractamus, Argumentum, instar Insomni cujusdam, haud penitus insulsi & vani, sed Insomni tamen, tibi videbitur. Etenim Optata bona absque spe Effectus, nedum tentandi Copiā, non multum illis præstant: Verum ne te diutius detineamus, cum ingrediebaris, Martius hic, & Attentiones nostras excitavit, & Animos affecit, Oratione suā, quam inchoavit tantum: Neque malè cedit hæc res, ad somnolentiam tuam discutiendam: Videbatur enim sermo ejus, quasi ad Bellum Classicum canorum. Si placet igitur, (Martii,) de integro Sermonem renoves: Nam & sermo ipse dignus erat qui repetatur: Atque me herclè, Corona Auditorum ista, non mediocriter dignitate aucta est, per præsentiam Polliōnis. Martius. Cum modò ingressus es, (Pollio) liberè Animi mei Sensum, hisce Dominis meis aperui: Me observasse, quòd per dena jam Annorum Lustra, proximè elapsa, minus nobile quiddam spirarunt, (si mihi fas sit dicere,) Orbis Christiani Bella, & Expeditiones Militares. Ecce Bella cum subditis; similia Litibus quidem protervis in foro; in quo pertinaciter Lege agitur, pro Jure suo recuperando; Quod

melius forsā, placido & quieto more, obtineri potuit. Ecce pusillas, Oppidi cujuscumque, aut Portuiculae Territorii, Debellationes; Quales esse solent Rusticorum Acquisitiones, Agelli, aut Anguli Terræ, commodè adjacentis. Quòd si etiam Bella pro Regno Neapolitano, aut Ducatu Mediolanensi, aut Regnis Lusitania, aut Bohemæ, suscepta fuerint; tamen hæc ipsa, tanquam Bella Ethnicorum, (Atheniensium, Lacedæmoniorum, Romanorum,) pro secularibus quidem Commodis, & Ambitione Dominationis, gesta sunt; nec Militia Christiana censeri debent digna. At Ecclesia Missiones suas, in extremos Fines Gentium & Insularum, facit; Nobili Opera & Instituto: Verum hoc sonat tantum: Ecce unus gladius hic. Reges & Principes Christiani, meritò accusandi, quòd Fidei Christiane propagationi, Armis & Opibus suis, non invigilent. Attamen Dominus noster, qui in terra manens, dixit Apostolis: Ite & predicare: Dixit etiam illis: Ego mitto vos in omnes terras, & in omnes gentes. Quis Miles Christianus, piā Emulatione non commoveatur, cum viderit Ordinem quendam, Societatis Jesu, aut S. Francisci, aut S. Augustini, tot & tanta, pro Religione Christiana propagatione, sustinere & perficere: Ordinem verò S. Jacobi, aut S. Michaelis, aut S. Georgii, nil aliud ferè perpetrare, neque majora meditari, quam ut vestes solennes induant, Festa Patronorum suorum anniversaria celebrent, & cæteros Ritus ac Cæremonias Ordinis sui, observent? Quin & Mercatores ipsi, in judicio surgent; contra Principes & Procures Europe: Illi enim, viam in Mari latam straverunt & triverunt, usque ad ultimos Orbis Fines: Classes & Copias Navales, Hispanorum, Anglorum, Belgarum, instruendo & mittendo, quantæ Indias quidem & Chinam, terrefacere & concutere possint: Hæc autem omnia, propter Margaritas scilicet, aut Gemmas, aut Aromata, suscepta sunt: At propter Margaritam illam Regni Cælorum, aut Gemmas Cælestis Hierusalem, aut Aromata Horti Sponsi. Malum quidem Navis ne unum erectum vidimus. Illud interim pro nihilo ducunt, sanguinem Christianum, in partibus tam remotis, inter se præliantes, effundere: Sed ne guttam quidem, in Causa Christi. Verum, ne inmemor videar, Rerum præclararum, in hoc genere, gestarum, fateor intra Spatium illud quinquaginta annorum, (de quo loquor,) aut paulo plus, tres susceptas esse Actiones memorabiles, à Christianis, contra Infideles: in quibus Christiani Invalores fuere. Cum enim Bellum Defensivum sit

fit, Necessitatis potius Bellum iudico, quam Pietatis Prima fuit, celebris illa & foelix, Expeditio Navalis, quæ victoria apud *Insulas Cypriales* terminata est; Quæ hamum inseruit *Naribus Ottomanis*, usque ad Diem hodiernum. Quod Opus præcipue instructum & animatum fuit, ab Eximio illo Principe, *Papa Pio Quinto*; Quem miror, Successores ejus, inter *Santos* non retulisse. Secunda fuit, Nobilis illa, (licet calamitosa) Expeditio *Sebastiani, Lusitanæ Regis, in Africam*: Quæ ab illo solo, absque aliorum ope suscepta fuit; Ita solo, ut aliis, se postea excusandi, necessitatem imponeret. Pro ultimâ numero, memorabiles Incurfiones à *Sigismundo Principe Transylvania* factas: Cujus foelicitatis Filium à *Christianis* ipsis abscissum fuit; Contra *Monita* egregia & Paterna, *Papa Clementis Octavi*. Plures mihi non occurrunt. *Pollio*. Pace tuâ, quid dicis de Extirpatione *Maurorum Valens*? Ad quam subitam Quæstionem *Martius* paululum obtulit: *Gamael* autem, sermonem arripens, dixit. *Gamael*, Planè cenleo, *Martium* rectè Actionem illam præterisse: Etenim, meâ sententiâ, damnanda prorsus est. Imò videtur factum illud *Deo* displicuisse. Cernitis enim Regem, sub cuius Imperio, hoc factum est, (quem vos *Catholici* pro Sancto & immaculato Principe habetis,) in ipso Aetatis suæ flore, sublatum; Auctorem autem, & suavorem Rigoris ejus, (Cujus Fortuna super *Rupem edificata* putabatur,) corruisse: Quin & opinantur plurimi, Rationes ejus facti nondum esse transactas, sed iis reddendis *Hispaniam* adhuc esse obnoxiam: Eò magis, quod ingens *Maurorum* illorum Numerus, (Exilio jam probati,) constanter in Fide perseverant, & veros se *Christianos* in omnibus præstant, præterquam quod appetitu vindictæ, in *Hispanos* flagrent. *Zebedæus*. Noli, obsecro, (*Gamael*), de Actione ille magnâ temerè judicare: Quæ instar *Ventilabri Christi* fuit in Regionibus illis: Nisi forte monstrare poteris, Pactum aliquod *Hispanorum* cum illis Populis, quale *Iosuah* fecit cum *Gibeonitis*: Quo Cautum esset, ut execrabilis illa Generatio, sedes antiquas retineret. Quinetiam vides, *Edicto Regio*, hoc Executioni mandatum fuisse, non tumultuariè: Gladius enim Manibus *Plebis* neutiquam commissus est. *Eupolis*. Arbitror Equidem, *Martium* illud omisisse, nõ quod iudicio in alterutram Partem inclinaret: Sed quia cum Actionibus Belli haud benè congruebat: Siquidem cum subditis tantum Res fuit; Neque Armis contra itum est. Verum permittamus (si placeat) *Martium* in Oratione procedere; loquebatur enim, (ut mihi videtur,) tanquã Theologus Armis indutus. *Martius*. Fateor; (*Eupolis*) me in his quæ loquor, Pietatem & Religionem, præcipue mihi ante oculos proponero: Nihilominus, si loquendum mihi esset, ut Homini Animali tantum, eadè confulerem. Neque enim reperiri hodie potest, Expeditio aliqua, aut Actio, etiam respectu secularis Amplitudinis, & Honoris terreni, quæ cum Bello contra *Infideles* comparetur. Neque in hoc, quod assero, Novitatem aliquam, aut ventosum quidpiam propono: Sed quod in Exemplis recentibus, ejusdem Generis, se ostendit: Licet fortasse minus arduis. *Cassiliani*, seculo superiore, Orbem novum aperuerunt: Arque *Regnum Mexicanum, Peruvianum, Chilem*, & alias *India Occidentalis* Regiones, subegerunt, & plantarunt. Videmus, quam ingentes Opum Fluxus, in *Eur-*

ropam, ex ea re, inundarunt; Adeo ut *Orbis Christiani* Censuræ, in Decuplum imò in Viccuplum, jam aucti sint. Verum est, *Aurum*, tempore Invasionis primæ, in iis Regionibus, congestum fuisse & accumulatum; Sed *Argentum* venæ adhuc perpetuò secat. Ex eodem etiam Auso, infinita, Territorij & Imperij, facta est Accessio. Neque enim unquam antehac, *Orbis Christianus* in Duplum crevit; Quod verè asseri possit, jam esse factum, si computes id quod jam dudum acquisitum est, cum eò quod in posterum acquiri possit, per Occupationem & Culturam earum Partium ulteriorem. Neque tamen affirmari verè possit, (si ingenuè loquatur,) *Fidei Christianæ* Propagationem, Navigationum illarum & Plantationum Causam præcipuum extitisse; sed *Aurum, Argentum, Opes, & Gloriam*. Ita ut, quod in *Dei* providentia primum fuerit, in Hominum Appetitu & Intentione, Secundas tantum Partes obtinuit. Similia prædicari possunt, de Navigationibus & Expeditionibus præclaris, *Immanuelis Lusitanæ Regis*; Cujus Arma *Africam & Asiam* cingere cœperant; Atque ad se trahere, non solum Commercium Aromaticum, Lapidum pretiosorum Moschi, & pharmacorum, sed *Sedes & Imperia* in Partibus illis *Orientis* extremis. Neque enim in his ipsis, *Religio Christiana*, præcipue ante Oculos observabatur; sed Amplificatio, & Prolatio Imperij, & Divitiarum. Accidit autem jam, ex duobus istis præclaris Facinoribus, cum *Orientales & Occidentales India* modò sub *Hispania* Ditione unitæ sint, id quod Magniloquus quidam dixit; *Solem in Imperio Hispanorum nunquam occumbere, sed aliquam ejus Partem semper irradiare*. Quod, (si verum dicendum est,) Radius quidam est Gloriæ, non dico Corpus solidum Gloriæ, in quo *Monarchia Hispania*, reliquis omnibus, *Monarchiis* superior sit. Quam obrem, ut concludam, videre est in hisce Expeditionibus, contra *Ethnicos & Infideles*, Honorem & Utilitatem, tam spirituales, quam temporales, in unâ, tam Intentione, quam Profecutione, coivisse. *Pollio* At, ut mihi videtur, pace tuâ, (*Martius*) meminisse debueras, Homines *Sylvestres*, & merè Barbaros, similes esse Bestiis & Avibus, quæ *Fera sunt Natura*: Quarum Proprietas, (qualis esse potest,) Possessionem sequitur, & Occupanti conceditur: Sed in *Populis Civilibus* hoc non tenet, *Martius* Ego certè nil tale Discriminis agnosco, inter Animas Rationales; sed contra sentio, quicquid in ordine sit, ad Bonum *Populi* aliqujus majus, & latius, Actionem posse Injustitiâ absolvere, concessio quod *populus* sit, sive magis, sive minus, cultus & Civilis. Verum, non facile tibi concedâ, (*Pollio*), *Populos Peruvianum* aut *Mexicanum*, ita penitus fuisse Barbaros, vel Feros, ut Oratio tua innuit: Aut quod talis poni debeat differentia, inter illos, & alios, *Infideles*, qui hodie in Locis plurimis degunt. In *Peruvia*, licet nudi fuissent, temperaturâ fortasse Climatis hoc postulant; Et Consuetudinis nonnullæ admodum Barbaræ apud eos invaluissent: Attamen Administrationi certè *Incarum*, in aliquibus, Humanitas, & Civilitas, non defuerunt. Reduxerant Nationes illas, ab *Idolorum* Omnigenum Adoratione ad Adorationem *Solis*. Atque (quantum memini, *Liber Sapia* Gradus *Idololatriæ* distinguit; Constituens *Idolorum*

vilium

viliū & despicibilium Cultum, magis Cœcum & detestandum esse, quam simplicem Cultum Creaturæ. Et similiter, (nisi fallor,) faciunt quidam ex Prophetis; Ponentes Cultum Idolorum, per Metaphoram, tanquam turpissimam & maxime bestialem Fornicationem. Insuper Peruviani, sub Imperio Incarum, magnifica habuerunt Tempia superstitionis suæ: Justitia Administratio apud eos viguit: Obedientiam & Fidelitatem constantissimam Regibus suis exhibebant: Etiam, contra Hostes, cum Justitia quadam Militari procedebant, ac si jus Facialium novissent; Legem suam, tanquam meliorem, iis offerentes, antequam Gladium stringerent. Neq; ab similibus erat Politia Regni Mexicani, quod Monarchia Electiva, non Hereditaria, erat. Quatenus verò ad Populos India Orientalis, (Goa, Calcutti, Malaca,) erant illi populi delicati & laurii; Frugis certè, cum quadam Elegantiâ, etsi parùm bellicosi. Ita ut si æqua lance res ponderetur, Imperium Turcarum censerit possit magis barbarum, quàm horum quodvis. Tyrannis crudelissima; Polluta Sanguine Imperatorum suorum in successionebus singulis; Mancipiorum & Vasallorum Massa; sine Nobilibus; sine Generosis; sine Ingenuis; Hereditates nullæ; Nullæ Stirpes antiquæ; Gens sine Affectibus Naturalibus; Quæque (ut ait Scriptura,) non movetur Desideriis Mulierum, Immisericors, & incuriosa erga Liberos proprios; Gens sine Institutionibus Moralibus; sine literis, Artibus, & Scientiis: Quæ vix Iugerum Agrorum aut Horam Diei mensurare nōrit: Sordidæ, & immunda, in Edificiis, Victu & Similibus; Atq; (ut verbo dicam,) Opprobrium merum Generis Humani. Ista tamen Natio. Hortum Mundi, in Eremum vertit. Nam, (ut rectè habetur in Proverbio,) Ubi Equus Ottomanni pedem ponit, Populus vix crescit. Pollio. Veruntamē, in medio Invectivæ tuæ, (Marti) Turcas jure suo non privas, Eos ne utiquam pro Idololâtris habendos esse. Etenim si, (ut ipse modo dixisti,) discrimen haud parvum sit, inter Cultores Idolorum Viliū, & Solis: Majus se offert Discrimen, inter Cultum Creaturæ & Creatoris. Agnoscunt enim Turcæ Deum Patrē, Creatorem Cœli & Terræ, primam in Trinitate Personam, etsi reliquas duas negent. Ad quem Sermonem cū Martius conticisset, Occurrit Zebedæus vultu commotiore, & reprehensionem spirant, & dixit. Zebedæus. Cavendum sedulo, (Pollio,) ne in Hæresin Immanuelis Commemori, Imperatoris Græciæ, imprudentes labamur: Qui asseruit, Mahometis Deum verum esse Deum: Quæ Hæresis à Synodo non solum rejecta & damnata est, sed Imperatori imputata, veluti Infantiæ species quædam: Quam etiam ei exprobravit Episcopus Thessalonicensis, verborum Acerbitate minimè repetendâ. Martius. Ingenuè fateor, me in illa opinione esse, Bellum contra Turcas, plus Justitiæ & Meriti habere, quam contra alios quoscunque Gentiles, aut Barbaros, qui aut ferunt, aut nunc sunt, tam Religionis Intuitu, quam Honoris, Licet Facilitas forsitan, & spes perficiendi, ad aliam magis Electionem invitare possit. Verùm antequam ulterius progredior, tum & ipse libenter respirarem: Tum etiam Dominationes vestras obnixè rogarem, ut Sermonis vices excipiatis, qui melius eas sustinere potestis: Sed & præcipue hoc mihi occurrit, quoniam in conventu nostro hic aliquos video, qui egregij Legis Divina Interpretres sunt, etsi Dogmatibus non-

nullis dissentientes. Ipse autem, non sine ratione, judicio meo diffido, tum quod in seipso infirmum sit, tum quod Zelo & Ardore, in hac Causa abripi possit: Itaque vitio mihi verti possit, si plura de hac re differerem, priusquam Fundamenta solidè jacta videam, quæ Justitiæ Actioni huic asserant; ab iis, qui in Justitiâ Causæ discutendâ, me ipso magis versantur, & peritiores sunt. Eupolis. Magnâ certe lætitiâ afficior, (Marti,) cū intueor in Viro Militari tantam Animi Moderationem: Quandoquidem in re, quæ sanguinem excalefaciat, atque insuper speciem habeat Sanctitatis, non abripiaris, ad præmittendam, aut pro concessio admittendam, Considerationem Justitiæ. Atque quoniam, (ut mihi videtur) Colloquium hoc nostrum, scilicet procedit, si Dominationes vestræ annuant, nonnulla de Distributione Argumenti in Partes proponam. Qui vix cum omnes assensissent, Eupolis dixit. Eupolis. Mihi certè non incongruum videtur si Zebedæum exorarem, ut Quæstionem hanc discutiat: Utrum Bellum propter Fidei Christianæ Propagationem, absque alia aliqua Hostilitatis Causa jure suscipi possit: Et in quibus Casibus. Fateor insuper libenter me audire velle, Dissertationem de jure: Non solum Permissivo, sed etiam utrum non obligentur Principes Christiani, Respub. ad hujusmodi Bellum inferendum? Quam partem si Gamaliel placuerit in se recipere, Quæstio de jure, simpliciter accepta, plene discussa fuerit. Superest Quæstio Comparativa: Nempe, dato, quod hæc Res, aut Legitima, aut Obligatoria sit, utrum tamen aliz Res eam prævertere non debeant: Veluti, Extirpationes Hæresium: Schismatum Reconciliationes: Morum Reformationes: Profecutiones Titulorum, & Jurium, pro Temporalibus Dominis, & Vindictis: & hujusmodi: Atque insuper, in quantum Bellum istud Sacrum, cæteras illas Res, vel præstolari debeat: vel cum iis pari passu incidere: vel illas compefcere, & in ordinem redigere tanquam se inferiores? Quoniam autem hæc Pars latè patet, atque Eusebius adhuc Silentium tenuit, (si Dominationes vestræ jubeant) illam, per Viam Multæ, ei imponemus. Interim vereor, ne Pollio, qui perspicaciâ & acimine pollet, ad distinguendum, quid sit in Rebus solidum & grave, quidque rursus speciosum & phantasticum, hæc omnia nihil aliud esse existimaturus sit, quam Impossibilia, & Aquilas (ut dicitur) in nubibus: Itaque eum, rogabimus, ut argumentum hoc totis viribus stringat & premat: ut ab eo moniti & edocti, rem aut rejiciamus, si inveniatur tumida & in flata, aut saltè ab ea separemus, quicquid in sit inane, & minimè sperabile. Atque quia ingenuè fateor, me in aliâ opinione esse, (etsi cū Polliōne dimicare dura sit Provincia,) tamen quantum in me est, probare conitar, rem hanc perfici, & ad Exitum perducî posse: Atque ostendam, quibus Modis Impedimenta omnia & Obstacula, vel tolli vel superari, queant. Tum verò tempestivum erit Martio, (si rem prius non deposuerimus,) Sermonis Partes resumere: tam quoad Suasoriam, quam quoad Consultoriam, quibus scilicet Mediis, Aparatibus, cæterisque denique, quæ ad Alteram Partem conducant, administrari possit; Verùm hæc quæ dixi, pro tenuitate Judicij mei, in medium adduxi: Dominationes vestræ

vestra rem melius disponent. *Universi, non solum distributionem probarunt, sed etiam suis partibus acquieverunt. Verum, quia inclinabat Dies, Colloquium, in Mane crastinum differre conserunt.* Solummodò *Pollio* dixit. *Pollio*. Sanè (*Eupolis*) de me rectè conjicis. Plane enim sentio, nisi *Orbem Christianum* vclut *Pistillo* contundatis, & novam inde *Massam* conficiatis, de *Bello Sacro*, spem nullam reliquam esse. Atque semper hoc apud me statui, *Lapidem Philosophicum, & Bellum Sacrum*, *Diverticula* tantum esse *Cerebrorum* non nihil læsorum; Et eorum qui, *Plumas* in *Capite* gestant, non in *Pileo*. Veruntamè, pro *Humanitate* vestra, credite; Si vos quinque; *Contraria* fenseritis: Præsertim, postquàm ea, quæ in animo mihi sunt, recensuerim paratus ero cum, *Hippocrate* renunciare: *Athenienses insanire, solum autem Democritum sanum esse.* Atque ne me à *Negotio* penitus abhorere judicetis, ab initio jam aliquid contribuam. Vos proculdubio varia & egregia comminiscemini: Sed facite quod jubeo *Papa*, qui nunc sedet, decrepitus est, & *Mors* ejus quotidie expectatur, non secus quam si *Campana* jam pulsaret. Date operam, ut post eum eligatur *Papa*, minimè *Senex*, *Annorum* quasi inter *quinquagesimam* & *sexagesimam*: Assumat autem sibi *Nomen Urbani*. Quia ejus *Nominis Papa*, primò *Cruciatam* instituit: Et tanquàm *Tuba Sacra* *Expeditione* in *Terram Sanctam* excitavit. *Eupolis*. Bene ais, Sed esto, si placet, paulo plùs serius, in hoc *Colloquio*.

Die sequente idem convenerunt, prout constituerant, cumque confederissent, & aliquid à Pollione factum in dispersum esse: Quis sic iuaveat: ut eorum jam dudum inchoatum esse: Se enim, per totam Noctem nil aliud, quam de Ianuariis, & Sultanis, & Tartaris, somniasse: Martius dixit. Marius. Distributio Colloquij, quæ ab Eupolide heri facta est, & à Nobis approbata, mihi sanè videtur omninò perfecta & absoluta, præterquam una in Parte: Loquor autem, non de Numero Partium, sed de earundem Ordine & Collocatione. Ita enim dispositum est Colloquium, ut Pollio & Eupolis, Possibilitatem aut Impossibilitatem Actionis ventilarent, antequàm ego Mediorum & Apparatum Declaratione explicaverim. Ipse autem sapius animadverti in Deliberationibus, ingressu propinquo rem in Considerationem Modi rei gerendæ sive exequendæ, Opinionè prius conceptam, de Possibilitate aut Impossibilitate, penitus subvertisse: Ad eo ut, quæ primo intuitu Possibilia videbantur, inquirendo in Modos perficiendi, Impossibilitatis convicta fuerint: Et è Contrariò, quæ impossibilia quis primo putasset Mediorum rursus Explicatione, (tanquàm Lumine à Dorso Rerum posito, & affulgente,) se ostēderint Possibilia: Quæ antea impervia putabantur, perviis factis. Hoc autem non eò dico, quo Ordinem Interloquendi immutare, sed solummodò ut à Pollione & Eupolide impetretur, ne quid peremptoriè & conclusivè pronunciant, donec me de Executionis Modis differentem audierint: Atque deinde ad replicandū sine præjudicio se referent, postquam ante Oculos, veluti Modulū quendam Rei gerendæ contemplati sunt Pergrave studij, & sobrium Martij Monumentum, & Cautio, plurimum à reliquis collaudata: Unde Eupolis dixit. Eupolis. Cùm Marius aliquid corrigere inceperit, in eo quod heri decretū est,

licebit & mihi, (præsertim in profitione quadam, quam ibi intuli.) Omissionis alicujus meminisse: Quæ plus est quam Collocatio Partium præpostera. Quantum enim conjicio, addenda, & inferenda erat *Questio* de *Jure*, Hæc Appendix: Quousq; *Bellū Sacrum* sit prosequendum? Nempe; Utrū usque ad *Eradicationem* & *Externium* *Populorum*? Atq; insuper, utrū *Res* ad hoc deducenda sit, ut *Fides Nova* *Armis* compellatur; *Religio* falsa vi & supplicii vindicetur; An potius, ut *Regiones* & *populi* solummodò subjugentur; Unde per *Gladium* *seculare* via aperiat ad *Gladium spirituale*, qui *Perfusione*, *Instructione*, & hujusmodi *Remediis*, quæ ad *Salutem* *Animarum*, & *Informatione* *Conscientiarū*, propria sunt, penetret? Sed fieri potest, ut hoc, quod tanquam omissum noto, seorsim in *Partem* constitui opus non sit; Quia *Zebedæus*, pro eâ quæ pollet prudentia, in eam sponte incidet; Tanquàm *An nexum* quoddam *Questio* de *Jure*: Quæ discuti & determinari non potest absq; *Distinctionibus*, & *Limitationibus* *Zebedæus*. *Confirmatio* certè reddor, (*Eupolis*), cum videam *judicio* tuo, (quod tanti æstimo,) id probari, quod ipse apud me facere institueram. Quemadmodum enim *Martius* benè notavit, rem esse laxiorem de *Possibilitate* discernere, priusquam *Modi* ipsi conficiendi in *medium* adducantur; Similiter se habet, de *Iustitia* diffinire, absq; *Recensione* & *Consideratione Casuum* *Particularium*. A principio itaque *Casus* distinguam: Et si veniam mihi dabit, si eos seorsim singulos nimis præcise non discerniam: Nā & proximum hoc foret: Ac rursus, nō in *Artibus* aut *Methodis* occupati jã sumus, sed in *Colloquio Deliberativo*. Primum igitur in genere queritur, (sicut *Eupolis* antea memoravit,) utrū *Principibus Christianis* *Bellum Invasivum* inferre liceat, solummodo & simpliciter, propter *Propagatinem Fidei* sine aliâ quâpiam *Hostilitatis* *Causa*? Secundò, queritur, posito in *partem* *Casus*, quod *Regiones* illæ olim *Christiana* & *Ecclesie* *Membra* erant, ubi *Candelabrum aureum* steterat; Et si jam planè defecerint neque *Reliquiæ* ullæ sint *Christianorum*: utrū licitum non sit, *Bellum* inferre, ut illæ *Ecclesie* denuò reuniantur, tanquam *vetus Christi Patrimonium*? Tertio queritur, addito in *partem* *Casus* *ulteriorem*, *Multitudinem* adhuc *Christianorum* magnam, in illis locis degere, utrū licitum non sit *Bellum* inferre ad illos à *Iugo Infidelium* liberandos? Quarto, utrū *Bellum* inferri justè non possit, ad recuperandum & expurgandum, *Loca Sacra* & *Solemnia*, modò polluta & prophanata; Quæ sunt *Civitas*, & *Sepulchrum*, *Sancta*; Et hujusmodi *Loca*, ubi *Adoratio*, & *Devotio*, se in primis exercuerunt? Quintò utrū *Bellum* licitè geri non possit, ad ultionem capiendam, de *Blasphemis*, & *Contumeliis*, vero *Deo*, & *Servatori* nostro illatis: Aut de *Effusione sanguinis Christiani*, quamvis multis retrò seculis facta: Quandoquidem *Judicia Divina*, *Cancellis* temporum minimè concludi, & multoties *Peccatorum* tantum *Maturitatem* expectare, constat? Sextò, in *Considerationem* venit, (Id quod modo proposuit *Eupolis*;) utrū *Bellū Sacrum*, (quod, sicut *Causæ* dignitate, ita & *Prosecutionis* *Iustitiæ*, aliis omnibus præcedere debet;) iurè licitè possit, usq; ad *Expulsionem* & *Internecionem* *Populorū*, vim

Con-

Conscientiis inferendam, atque huiusmodi Acerbitates exercendas: vel qualis adhibenda sit Moderatio, & Limitatio; Ne dum *Christianos* nos esse meminerimus, alios *Homines* esse oblivisci videamur. Interventit tamen Articulus quidam, qui hos universos præcedere debeat, & ferè missos faciat, quantum ad hoc Particulare *Bellum* contra *Turcas*: Qui in mentem mihi forsitan non venisset, nisi *Martium* heri, Tyrannidem *Turcarum*, tam ad Vivum, Oratione sua depingentem, audissem; Quam tu *Pollio* invectivam appellasti, licet reverà iusta esset & debita Contestatio; Et quantò in animo magis revolveo, tantò plus in Opinione illà confirmor; Arma scilicet pro Imperio illo debellando, etsi Religionis Causam seponamus licitè sumi posse, *Pestquam* *Zebedæus* ista dixisset, aliquantisper respiravit si quid forte ceteri, in eam rem iniecerint: Sed postquam nil aliud, quam *Silentium*, & *Attentionis* signa observaverat, ad ea quæ dicturus erat, hoc modo perrexit.

Zebedæus *Dominaciones* vestra, in hac *Quæstione*, de *Jure Belli Sacri* contra, *Turcas*, non expectabunt à Me *Tractatum* iustum; sed *Sermonem* tantum, qualis *Deliberationi* conveniat; Atque ad huiusmodi *Brevitatem* & *Modum Dicendi*, me componam. Primum hoc concedam; sicut *Belli* Causa iusta esse debet; Ita ejus Causa *Iustitia*, oportet ut sit liquida; Non obscura, aut scrupulis implicata. Etenim, omnium *Legum* consensu, in *Causis Capitalibus*, *Probationes* requiruntur plenas esse & evidentes. Quod si hoc postulandum sit, ubi *Unius Vita* periclitatur, & *Bello* dicemus, ubi semper in innumeros, *Mortis* sententia fertur? Cavendum itaque inprimis, ne immolando *Cruorem* *Hominum*, per *Bellum* iniustum, *Beatissimum* *Servatorem* nostrum, ad similitudinem *Moloch*, aut *doli Ethnici*, adoremus. *Iustitiæ* *Actionis* cujuscunque consistit; In *Meritis* *Causa*; in *Legitima* *Iurisdictionis* *Auctoritate*: Atque in *Prosequendi* *Modo debito*. Quantùm enim ad *Intentionum Interiorem*, eam *Curia Cæli* relinquo. De his separatim, prout referri possint, ad *subjectum præsens*, *Belli Sacri* Contra *Infideles*: Et nominatim, contra potentissimum, & maxime formidabilem *Fidei* *Hostem*, *Turcam* Equidem teneo, & confido me liquidò probaturum, (quantum per *Summam* quandam, & *Capita tantum* *Rerum*, probatio haberi possit,) *Bellum* Contra *Turcam* iustum esse, & legitimum: Tam *Iure Naturali*, quam *Iure Gentium*: Nec non *jure Divino*, quod illorum duorum est *Profectio*. Quatenus verò ad *Legem Positivam*, & *Civilem*, vel *Romanorum*, vel aliorum quorumcunque: *Machinæ* sunt illæ certè nimis exiles, quæ tantæ *Quæstionis* pondus regant. Itaque, meo iudicio, *Multi* ex *Recentioribus Scholasticis*, (etsi *Homines* alia egregij,) non rectè quidem insistunt viâ, ad *Quæstionem* illam discutiendam; Nisi fortè *Donum Navij* facti sint: Ut *Corem novacula* scindere queant. Primum, quantum ad *Legem Naturæ*: *Aristoteles* *Philosophus*, non malus ejus *Legis* *Interpres*, *Multorum* *Ingenia* exercuit, Scito illo ingenioso. De *Naturâ Domino*, & *Naturâ Servo*. *Affirmando*, disertis verbis, & *peremptoriè*, usque à *Natalitiis*, res aliquas natas esse, ad regendum, aliquas ad parendum: Quod *Oraculum*

secundum varios sensus acceptum fuit. Acceperunt illud nonnulli, pro sermone lætantiæ: ut *Græcorum* in *Barbaros* Imperandi *Ius* assereret: Quod *Thema* defensum melius fuit à *Discipulo* ejus *Alexandro*. Alii acceperunt veluti *Modulum* quendam *speculativum*: Quod *Natura* & *Ratio*, hoc volunt & possunt, ut meliores imperent: Sed neutiquam ut *jure* hoc vindicare possint: Verùm ego, nec pro *Verborum* *lactantia*, nec pro *Voto* quodam aut *Optato*, illud accipio: Sed pro *Assertionem* verâ, quemadmodum ab illo diffinitur, & limitatur. Sic enim asserit. Si inveniri possit *Disparitas* talis & *Inæqualitas*, inter *Hominem* & *Hominem*, qualis inter *Hominem* & *Brutum* cernitur, aut inter *Hominem* & *Corpus*, *Ius* planè *Imperandi* inducit: Quod videtur potius *suppositio* *impossibilis* quam *sententia* *veritatis* expertis. Verum, mea quidem opinione, & *sententia* recta est, & *suppositio* *possibilis*: Atque ejus *Naturæ*, quæ locum habuit & habet, tum in *juris* aliquibus, tum in *Nationibus*. Sed antequam ad reliqua pergamus, *Ambigua* quædam, & à *sensu* vero sermonis nostri multum aberrantia, ne interpellant, abigamus & relegamus. Si quis asserat, eos, qui magis ingenio pollent, & *Meritum* præcellunt, *Ius*, tale ad imperandum obtinere, ut minus dignos per vim subicere, & sibi in *servitutem* redigere, licitum sit *Nugæ* meræ sunt: *Suffragia* *Hominum* nunquam in eo coibunt, ut *declaretur*, quis sit dignior. Etenim, si *Ordinem* *Imperandi* saltem ad *Dominium* debetur, qui *Intellectu* eminet, ut *Aristoteles* asserit: sed non minus ad *Imperium* requiruntur, *Fortitudo* ad protegendum: & ante omnia, *Probitas* & *Rectitudo*, ad abstinendum ab *Injuriâ* Ita ut perplexa planè res sit, diffinire quis ad *Imperandum* habilis magis sit. Alij siquidem *Viri*, alij *Gentes*, in his præponi debent: Alij in illis. Itaque, *Thesis*, quam adduco, non tenet in *Comparativo*: Nempe, ut prudentior, aut fortior, aut iustior, *Natio* regere debeat: Sed in *Privativo*: Hoc scilicet volumus: Sicubi reperitur ejusmodi *Cumulus* aut *congeries* *Populi* (etsi forsitan *Regnum* vel *Imperium* vocetur,) omninò indigni qui *Imperent*, iusta *Belli* *Causa* oritur, ut ij subjugentur, à *Natione* aliâ *Civili*, & ad *Imperandum* *habili*: Imò licet hoc à *Cyro* quopiam, aut *Cæsare*, qui *Christiani* non fuerunt, fieri supponatur. *Secundus* *Error*, quem exulare volo, hic est. Ne quis hoc à me dici putet, de *Tyrannide* aliqua *personali*: sicut *Imperium Romanum* fuit, sub *Caligula*, aut *Nerone*, aut *Commodo*: Num nam *Populus* quæso, *plecti* debeat, ob id, in quo jam dudum *plectitur*? Sed ubi ipsa *Statutis* *Constitutio*, & *Cõsuetudines*, & *Leges* ejus *Fundamentales*, (si modo *Leges* appellari mereatur) *Ius* *Naturæ*, & *Gentiû*, planè convellunt: Tum (inquam) *Bellum* contra eos iustum censerit debet. *Quæstionem* autem istam in tres *Partes* dividam. Primum utrum existere possit, *Natio* aliqua, vel *Hominum* *Cætus*, quibus iustum sit, *Bellum* inferre, atque *Injuriâ* aliqua præcedente quæ vindicanda sit, aut *provocatione*? Secundò quæ tandem sint illæ *Iuris* *Naturæ*, & *Gentium*, *Violationes*, & *Impugnations*, quæ omni *Iure* ad regendum *spoliant*, & pri-

privant? Tertio utrū hujusmodi, *Legis Naturæ & Gentium* violationes, inveniuntur hodie in aliqua Gente, & nominatim in Imperio *Ottomannorum*? Quantum ad primam; Nullo modo affirmare hæsitaverim, Gentes tales, aut Cætus Hominiū, existere posse. Hujus rei fundamenta poni non possunt magis solida, quā si in Donationem Imperii Originalem, & Primitivam, inspicimus. Observa igitur verba Donationis illius; Præcipue Præfationem. Dixit Deus; *Faciamus Hominem ad Imaginem & Similitudinem nostram, & dominetur Piscibus Maris, & Volatilibus Cæli & Bestiis Terræ.* Hinc *Franciscus de Victoriâ*, & alii nonnulli, egregie inferunt, atque extrahunt verissimum & plane divinum *Aphorismum*; *Non fundatur Dominium nisi in imagine Dei.* Hic habemus Chartam Donationis omnis Domini. Facilius itaq; erit, de Causis Revocationis, aut Amissionis ejusdem, judicare, *Imaginem* si deleas, Jus unā cessat. At *Imago* hæc quid est, aut quomodo deletur? *Pæperes Lugdunenses*, & hujusmodi Spiritus Fanatici, respondebunt, *Imaginem Dei* esse Puritatem; Id autem quod delet esse *Peccatum*. Verū hoc ad *Everisionem* Imperii omnis spectat. Neque *Peccatum Adams*, aut *Maledictio Illud* secuta, eum Jure Domini sui privavit, sed in Creaturis, *Rebellionem tantum*, & *Reluctationem*, excitavit. Itaque (si diligenter attendas,) cū Charta ista, *Noachæ & filius*, post *Deluvium*, renovaretur, non fit per Verba *Restitutionis* Domini, qualia erant prima; Dominamini; &c. Sed; *Terror vester, ac Tremor vester, erit super Cuncta animalia Terræ & super omnes volucres Cæli, cum universis qua moventur super terram*; Imperium minime de novo concedendo, quod ratum manebat, sed contra *Reluctationem* illud protegendo. Interpretes igitur Saniore, hanc *Imaginem* interpretantur, esse, *Rationem Naturalem*; Quæ si in toto, aut maximā ex parte, deformetur, Jus Imperii extinguitur: Atque si Interpretum omnium sententias diligenter perpendas, de *Casu* dubitant, non de *Legge*. Sed hoc propriè tractandum veniet, cū de secunda parte disceremus; Quæ ipsas *Imaginis* Deformationes explicabit. Verū pergamus *Hoseas* Prophetam, in *Personā Dei*, de *Judeis* dicit; *Ipsi regnaverunt, & non ex me; Principes constituerunt, & non cognovi.* Qui locus aperte indicat, *Domina* quædam esse, quorum Deus se *Auctorem* negat. Etsi enim *occultā* ejus *Providentiā* ordinatur, voluntate tamen ejus *Revelatā* minime agnoscuntur. Neq; hoc de *Gubernatoribus malis* aut *Tyrannis*, intelligi potest, (illi enim, in *Scripturis*, sæpenumerō *Auctoritate* muniuntur, & *Stabliuntur*, tanquam *Potestates Legitimæ*;) sed de *Perversitate* aliqua, & *totali Defectione*, in *Gente*, aut *Populo* ipso: Quod ex eo liquido colligitur, quando quidem *Propheta* loquitur, de *Dominio* in *Abstracto*, non de *Personā Domini*. Licet autem nonnulli, ex iis quos diximus, *Heretici*, *Textu* hoc *abusi* sint, eumque *malè* distorserint; Sol tamen in *transitu* per *Cloacas*, non inquinatur. Atque in *super*, si quis inferat, ex verbis *Propheta* sequentibus, (quæ hæc *Rejectionem*, ob *Idololatricam* eorum factam, declarat,) *Interpretatione* istā, omnium *Nationum Idololatricarum* *destrui* *Domina*, (quod perspicue falsum est;) Hoc meo *judicio* non sequitur, *Idololatricam* enim *Judaicam*, eo tempore, atque *Idololatrica*

Ethnicorum, quæ tum fuit, & hodie invenitur, *Pecata* sunt *Naturæ* inter se multum discrepantis, respectu *fœderis specialis*, & *manifestationis* clarioris, quibus *Deus* seipsum *Nationi* illi devinxit, & exhibuit. Hæc *Imperii Nullitas*, & *Domini Privatio*, quam in *Nationibus* aliquibus reperiri dicimus, significantius adhuc, à *Mose*, exprimitur, in *Cantico* suo, sub *Personā Dei*, *Judeos* alloquentis; *Ipsi me provocastis in eo, qui non est Deus; Et Ego vos provocabo, in eo, qui non est populus.* Tales, (proculdubio,) erant *Populi Canaanorum*, & reliqui, post *Donationem*, *Terræ promissionis*, *Israëlitis* factam. Ab eo enim tempore, *Jus eorum* in *Terram* illam corruit, etsi in *Locis* compluribus, *Armis* sub *jugati* non fuerint, sed in *Possessione* manserint. Ex hoc videre licet, *Nationes* quædam *Nominatenus* existere, quæ *Nationes* jure non sunt, sed *multitudines* tantum & *Examina* *Populorum*. Quemadmodum enim *Homines* quidam sunt, quos *Ex-leges* appellamus; *Proscripti* scilicet, per *Leges Civiles* diversarum *Regionum*: Ita etiam, *Nationes* quædam reperiantur, *Terras* & *Possessiones* suas, de *Facto*, & non de *Jure*, occupantes, respectu *nullitatis Politicæ*, aut *Regiminis* sui. Sed recipiamus *Exempla* aliqua in *Medium* *Probationum* nostrarum; Etenim sic disposita, non minus probant, quā si in *finem* rejiciantur; tum verò illustrabunt magis. *Indubitatum* semper fuit, *Bellum* contra *Piratas* iuste geri posse, per *Nationem* quamcunque, licet ab iis minime infestata aut læsa. An quia certas *Sedes*, aut *Lares*, non habent. At in *Piratico Bello* à *Pompejo Magno* gesto (quodque revera, inter *Bella* quæ gestit, ei maxime honorificum & gloriosum fuit) *Pirata* nonnullas *Urbes* tenuerunt; *Portus* quamplurimos, etiam *magnam* *Provinciæ* *Ciliciæ* partem: Atque *Pirata*, qui hodie sunt, *Julio Cæsare*, *Receptum* habent. *Bestiæ* ideo minus feræ, quia *speluncas* habent. An quia *periculum* ab iis, tanquam *Nubes*, volitat & volvitur, ut nesciamus in quam partem erupturum sit; Adeo ut omnium, sine discrimine, *Res* agatur? *Ratio* hæc posterior, bona; Illi tamen non insunt omnia; Neque profecto ea est, quæ ut plurimum allegatur. *Vera* enim *Causa* hujus rei est. *Quod Pirata communes* *Humani Generis* *Hostes* sint; Quos idcirco omnibus *Nationibus* persequi incumbit, non tam propter *Metus* proprios, quā respectu *Fœderis* inter *Homines* *Socialis*. Sicut enim quædam sunt *fœdera* in *Scriptis*, & in *Tractatus* *redacta*, contra *Hostes* *particulares* inita; *Naturalis* & *tacita* *Confœderatio* inter omnes *Homines* *intercedit*, contra *communes* *Societatis* *Humanæ* *Hostes*. Adeo, ut ad hujusmodi *Bella* *inducenda*, non opus sit *Denunciatione* aliqua *solenni*; Non expectanda *Supplicatio* à *Natione* læsa, ut *summittantur* *Auxilia*, sed *istiusmodi* *Formulas* omnes *supplet* *Jus Naturæ* in *Bello* *Piratico*. Idem censendum est, de *Latronibus* per *Terram*, & *Insidiatoribus* *Viarum*; Quales adhuc dicuntur *Pagi* nonnulli *Arabum*, & *Reguli* quidam *Montani*, qui *locus* *angustas* *vias*, & à *Viatoribus* *frequentatas*, habitant. Neque [ut prius de *Piratis* dictum est] *Principibus* tantum *vicinis*, hos *debellare* conceditur; verum etiam, si quæ *Natio*

fit, quantumvis longè disita, quæ Merito & Gloria sibi duceret, *Bellum* istud suscipere; (veluti *Romani* olim *Bellum* gesserunt pro liberanda *Græcia*) proculdubio hoc facere cum *Justitia* possint. Nec ab simile pronuntio, de *Regno Assassinarum* jam extincto, quod situm erat super fines *Saracæ*, atque olim, magno, *Principibus Orientis*, pro tempore, terrori fuit. Ibi consuetudine receptum erat, ut *Regis* Mandato, & ex cæcâ obedientia eidem præstanda, quivis illorum obligatus esset, & veluti voto obstrictus, ad eandem cujusvis *Principis*, aut *Personæ*; perpetrandam, quam *Rex* suus designavit. Consuetudo ista, sine controversia, totum illud Regimen invalidum reddidit, & nullo Jure subnixum; tanquam *Machinam* quandam, contra *Societatem* Humanam extructam, quæ ab omnibus incendi, & destrui meruit. Idem pronuntio de *Anabaptistis Civitatis Monasteriensis*, etiam si *Imperatori* rebelles non fuissent; atque etiam si nil sceleris rever à commississent. Quin & si adhuc fuerit, aut in futurum exorturus sit, *Hominum* Cætus aliquis, qui teneret & poneret, omnia licita esse, non ex præscripto Legum, aut Regularum aliquarum, sed ex Motu & Instinctu secreto & vario Spiritus; Hic proculdubio *Natio* nulla censenda, *Populus* nullus, nulla *Politia*, quam *Deus* agnoscat: Cuius sanè *Nationi*, *Populum* hunc (si ad *Sanitatem* redire recuset) exterminare penitus ex Cætu *Hominum*, & à facie *Terræ* delere licebit. Proponam jam *Exemplum* rei fictæ: Et tamen *Veteres* in dubio rliquerunt, utrum *Res* ficta fuerit, an *Historia* vera. Illud intelligo de *Gente Amazonum*; ubi *Regimen*, tam publicum, quam privatum, etiam *Militia* ipsa, pnes *Fæminas* residebat. Num quis sanè *Mentis* affirmaverit, hujusmodi *Imperium*, contra *Ordinem* *Naturæ*, in principiis suis, institutum, non esse in se vacuum, & nullum & profus abolendum? De summo *Fæminarum* Imperio non loquor; Id enim *Consiliariis*, & *Magistratibus* subordinatis, *Masculis*, suffulcitur; Verùm ubi *Regimen* *Status*, *Justitiæ*, *Familiarum*, à *Fæminis*, & non aliis, admistrabatur. Attamen, *Exemplum* hoc postremum, à prioribus differt, eò quod in illis *Periculi* *Metus* supponatur, in hoc autem *Aberratio* tantum à *Lege Naturæ*. Neque hæsitarem idem affirmare de *Sultania Mamalucorum*, ubi *Servi*, & nulli alii pecuniâ empti, & *Stirpis* incognitæ, *Liberis* imperabant. Huic affine esset, si *Gentem* aliquam supponas, apud quam *Consuetudo* talis reciperetur, ut *Filij*, quamprimum ad plenam *Ætatem* pervenerint, *Parentes* è possessionibus suis expellerent, & eis *Stipendium* tantum solverent: *Exempla* enim ista *Imperii Fæminarum* in *Viros Filiorum* in *Patres*, *Servorum* in *Liberos*, similia & cognata inter se sunt; Cùm in his omnibus *Lex Naturæ* & *Gentium*, manifestò violetur pervertatur. Quantum ad *Indos Occidentales*, video (*Martine* *Garcilaz* sum de *Viega* legisse; Qui & ipse de *Stirpe Incarum* fuit; & proles mixta extitit; Atque *Virtutes* & *Mores* honestiores *Patriæ* suæ libenter memorat; et si certè sobriè hoc, & perquam modèstè faciat. Attamen mihi haud facile persuadebis, *Nationes* illas, à quavis *Natione*, quæ *Virtutibus* *Mora-*

libus culta & imbuta esset, sub jugari non potuisse; Licet *Propagatio Fidei* supponeretur, nec in partem *Casus* admitteretur. Certè, *Nuditas* illorum, quæ plerumque usi sunt, absque ullo omnino velo aut Tegumento, magnæ deformitati fuit: siquidem in *Nuditatis Conscientiâ*, sensus primus *Peccati* constitit; Atque *Hæresis* *Adamitarum*, semper habita est, tanquam *Opprobrium* *Naturæ*. Sed hoc *Fervoribus* *Regionis* detur, quandoquidem sit illis cum aliis nonnullis *Gentibus* commune. Neque rursus simplicitatem eorum commemorare placet, licet insignis fuerit; utpote qui *Equos* *Frana* ipsorum manducare; *Litteras* autem loqui; & commissa sibi nunciare, putarent; & similia. Neque enim *Sortilegia*, *Divinationes* & *Magiæ* *Superstitutiones* narro; In quibus cum plerisque *Gentibus* *Idololatriæ*, communicabunt. Verùm affirmo, *Consuetudinem* apud illos, *Homines* sacrificandi, & multò magis *Carnes* *Humanas* manducandi, tantam *Abominationem* fuisse, ut erubescere cogatur, quicumque certè negaverit, *Morem* hunc excrabilem, cum aliis improbisimis, conjunctum, *Hispanis* justam *Causam* tribuisse, *Territoria* eorum invadendi, ut per *Legem Naturæ* proscripta, & *Populum* vel reducendi, vel expellendi. Absit tamen à me, *Crudelitatibus* & *Cæditibus*, quæ sub inicitis adversus illos grassabantur, patrocinari; Quæ certi *Mercedem* suam paulo post receperunt; Cùm ne unus quidem ex primis earum *Regionum* *Occupatoribus* extiterit, qui non ipse violentè *Morte* periret; Quemque etiam, *Mors* & *Calamitas*, complurium è suis, non aut comitabatur, aut à tergo insequabatur. Sed *Exemplorum* satis; Nisi forte huc adiciam *Labores Herculis*: *Exemplum* sanè, quod licet *Fabulis* multis turgeat, hoc tamen in primis habet; quod insigniter demonstrat, omnium *Nationum* & *Ætatum* *Consensum*, in *Extirpationibus* & *Debellationibus*, *Gigantum*, *Monstrorum*, & *Tyrannorum* *Enormium* apud probandis; Nom solum tanquam *justis*, sed tanquam *Facinoribus* egregiis; Quæque *Divinus*, aut saltem *Heroicos*, *Honores* mererentur: Atque hoc, licet *Liberator* ille, quisquis tandè sit, ex unâ *Orbis* extremitate ad alterâ penetraret. Jam autem, *Exemplum* his prælibatis ad *Argumenta* redeamus, *Pondus* potius, quam *Numerum*, spectantes, ut in hujusmodi *Coloquio* par est. Primum *Argumentum* hoc erit. *Damnandum* certè error ille, tanquam *pusillanimitatis* nimix, si quis existimet, *Nationibus* aut *Gentibus*, nullum inter se *Vinculum* intercedere; nisi aut sub *Rege* eodem uniantur, aut per *Pacta* & *Fœdera* socientur. Aliæ siquidem *Societatis* *Obligationes* sunt, & *Confederationes* tacitæ & implicitæ. *Exempli* gratia *Illa* *Coloniarum*, aut aliò *transmigrantium*, erga *Nationem* *Progenetricem* suam. Neque pro nihilo habendum, si *Gentes unius* *Labi* sint: Sicut enim *Confusio* *Linguarum* *Nota* erat *Separationis*; Ita *Lingux* *Communio* *Nota* *Unionis*. *Iisdem* *Legibus* *Fundamentalibus*, & *Consuetudinibus* *Generalibus* uti, adhuc majus quiddam est. Quod *Genus* *Conjunctionis*, in *Græciâ*, respectu *Barbarorum* vigeat. Super omnia autem eminent, magna illa & indissolubilis; inter *Homines* univeros, *Consanguinitas* & *Societas*, de quâ *Poeta Ethnicus*, (*Paulo Apostolo* citante.)